



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 56. Vtrum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingenti sit Deo intrinseca, & cum Deo identificata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

nullam creaturam fuisse ab aeterno.

6. Confirmatur: nam Arriani quia dicebant Filium Dei ita esse, ut potuerit non esse, & liberè fuerit productus à Patre, consequenter dicebant Filium esse creaturam: Patres è conuerso, ut defenderent Filium Dei non esse creaturam, asserunt Filium ita esse, ut non potuerit non esse, ac non liberè, sed necessario productum à Patre, ut magis explicabitur infra in tractatu de Trinitate; ergo tum Arriani, tum Catholici conueniunt in hoc principio, ut euidenti, quod omnis perfectio positiua, quæ ita est, ut potuerit non esse, & ut liberè procedat à Deo, sit creatura; sed volitio libera Dei includeret talem perfectionem; ergo includeret aliquam creaturam æternam.

7. Probatur secundò: nam omnis perfectio, quæ potuit non esse, includit aliquam imperfectionem: nam manifeste potentia non essendi importat imperfectionem; sed volitio libera Dei includeret perfectionem, quæ potuisset non esse; ergo includeret imperfectionem, ac sic Deus non esset actus purus ab omni imperfectione intrinseca.

8. Probatur tertio: nam vel istæ perfectiones sunt Deus, vel non; si non sunt Deus; ergo sunt creatura: nam omnis perfectio positiua, quæ non est Deus, est creatura: si sunt Deus, contra est, nam quod est Deus per identitatem non potuit non esse; ergo non sunt Deus per identitatem. Confirmatur: nam, volitio alterius Mundi de facto non est, ac proinde non est Deus; sed si Deus voluisset creare alium Mundum, talis volitio esset, & esset, Deus; ergo aliquid, quod de facto non est, potuisset esse Deus per identitatem, non minus perfectè, quam Pater, & Spiritus Sanctus sit Deus: hoc repugnat principiis naturalibus, & principiis fidei; ergo &c.

9. Probatur quarto: nam sequeretur, quod Deus non esset actus purus, sed haberet aliquam potentialitatem. Quod enim potest habere, vel non habere aliquam perfectionem, eo ipso non est actus purus, sed est potentia, ad talem perfectionem; sed Deus posset habere, vel non habere perfectiones liberas; ergo. Hinc inferitur, quod esset mutabilis. Quod enim potuit carere aliqua perfectione intrinseca, quam habet de facto, est mutabile.

10. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia creatura non est actualis volitio, sed potentia volendi, creatura est libera ad actualem volitionem habendam, vel non habendam. Deus è conuerso quia est ipsa actualis volitio, non est liber ad habendum, vel non habendum vllum actum vitalem, & vllam volitionem, sed solum est liber ad volitionem, quam necessariò habet, applicandam ad hoc, ut sit volitio, vel nolitio potius huius, quam illius obiecti, puta ad hoc, ut sit volitio efficax huius Mundi, vel sit nolitio efficax alterius Mundi. Deus igitur est liber ad volendum, vel nolendum, non ex parte actus, sed ex parte ipsius applicationis ad obiectum.

extrinsecum. Hinc sequitur diuinam volitionem, & nolitionem non esse liberam libertate actus secundi, consistente in hoc, quod volitio possit esse, & non esse: siquidem omnis diuina volitio necessario est, sed sola libertate actus primi, per quam volitio necessario existens potest seipsam applicare liberè ad hoc, ut sit volitio, vel nolitio efficax huius, vel illius obiecti extrinseci.

11. Proportionaliter Deus cum sit ipsa actualis intellectio, non est indifferens ad habendam intellectionem, qua per scientiam visionis cognoscit Mundum esse e. g. sed solum est indifferens ad habendam, vel non habendam applicationem, qua diuina intellectio applicatur ad hoc, ut sit intellectio affirmans potius Mundum esse, quam non esse; idemque dic de scientia media.

12. Ad 2. distingo maiorem: non minus volitio efficax, qua Deus vult aliquod obiectum, puta mundum, est actus, & perfectio secundum omnia, quæ importat, tanquam constitutiua ipsius volitionis, quam volitio efficax, qua homo, vel Angelus vult aliquod obiectum, sit actus, & perfectio secundum omnia, quæ importat, concedo: non minus volitio Dei est actus, & perfectio secundum omnia, quæ importat tanquam applicationem ad hoc determinatum obiectum, quam volitio efficax hominis, vel Angeli, nego: & nego consequentiam. Volitio hominis, & Angeli propter suam limitationem est per se ipsam applicata, & alligata huic obiecto, & non potest huic non applicari, ideoque est perfectio secundum omnia, quæ importat, etiam secundum applicationem huic obiecto. At volitio diuina propter suam illimitationem, & infinitatem non est per se ipsam applicata huic potius, quam alteri obiecto contingenti efficaciter volendo, ideoque est quidem actus, & perfectio secundum omnia, quæ importat tanquam constitutiua ipsius volitionis, non autem secundum omnia, quæ importat tanquam applicatiua volitionis huic potius, quam alteri obiecto, ut magis explicabitur questione 58.

QVAESTIO LVI.

Virum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingenti, sit Deo intrinseca, & cum Deo identificata?

1. **V**idetur identificari cum Deo, vel saltem esse Deo intrinseca, primo quia cognitio, & volitio non possunt applicari obiecto, nisi per se ipsas, vel saltem per aliquid ipsius intrinsecum, ut patet inductione; ergo applicatio cognitionis, & volitionis diuinæ huic potius obiecto, quam alteri, vel identificatur cum ipsa cognitione, & volitione diuina, vel

Z

est

est intrinseca cognitioni, & volitioni diuinæ; sed cognitio, & volitio diuina est ipse Deus, & ipsa diuina essentia; ergo applicatio cognitionis, & volitionis diuinæ huic potius, quam alteri obiecto contingenti, vel identificatur cum Deo, vel est intrinseca Deo, & essentia diuinæ.

2. Secundò omnis vitalitas actus diuini identificatur cum Deo, vel saltem est ipsi intrinseca: siquidem vitalitas ex sua ratione debet esse intrinseca viuenti; sed applicatio, per quam diuina scientia, & volitio applicatur huic obiecto, est vitalitas; ergo. Probatur minor: nam in volitione, qua Deus vult mundum existere, hoc ipsum, quod est *velle efficaciter Mundum existere* est prædicatum adæquate vitale; sed hoc prædicatum includit applicationem ad volendum efficaciter mundum; ergo.

3. Tertiò implicat, quod Deus constituat liberè volens mundum per aliquid Deo extrinsecum: sed denominatio liberè volentis mundum includit applicationem volitionis necessariæ ad mundum volendum; ergo talis applicatio non est Deo extrinseca, sed intrinseca, ac proinde cum Deo identificata.

4. Respondeo iisdem argumentis, quibus questione 55. contra Caietanum probatum est volitionem liberam Dei non superaddere diuinæ essentia perfectionem intrinsecam Deo, quæ potuerit non esse, probari etiam applicationem, seu terminationem liberam, quæ volitio necessaria Dei applicatur huic potius obiecto, quam alteri, non esse perfectionem liberam, quæ potuerit in Deo non esse. Ideo aliqui recentiores Theologi docuerunt, applicationes, seu terminationes liberas esse quidem intrinsecas Deo, sed secundum se præcisè non esse perfectiones; & quia neque possunt esse imperfectiones, vel includere imperfectionem, (nam nulla imperfectio potest esse Deo intrinseca) asseruerunt applicationes, seu terminationes liberas secundum se præcisè neque esse perfectiones, neque imperfectiones. Auctores huius sententiæ diuiduntur in duas classes. In prima classe sunt Antonius Perez disput. 3. de voluntate Dei cap. 3. & 4. & alij, qui docuerunt applicationes, seu terminationes liberas diuinas ita esse Deo intrinsecas, vt cum diuina essentia realiter identificentur, ac solum virtualiter intrinsecè distinguantur, proportionaliter ac Personalitates diuinæ realiter identificantur cum diuina essentia, & virtualiter intrinsecè ab illa distinguuntur, vt dicitur infra in Tractatu de Trinitate. Et quia quæ realiter identificantur cum diuina essentia, per talem identitatem infiniter perficiuntur, ideo dixerunt terminationes liberas licet secundum se præcisè nullam dicant perfectionem, tamen per identitatem cum diuina essentia esse infiniter perfectas, ac non minus perfectas, quam diuina essentia. In secunda classe sunt aliqui, qui dixerunt terminationes liberas ita esse intrinsecas Deo, vt neque realiter cum Deo iden-

tificentur, ac proinde neque ratione identitatis cum diuina essentia sint perfectiones, vel entitates, sed puræ veritates obiectivæ carentes omni entitate, & perfectione.

5. Contra has sententias dicendum primò: applicationes, seu terminationes libere diuinæ volitionis, ac scientiæ non possunt realiter identificari cum Deo, & cum diuina essentia.

6. Probatur primò: nam est primum principium metaphysicum, & euidentissimum, quod ea, quorum vnum potest esse sine alio, realiter distinguuntur, & non identificantur realiter; sed Deus potest esse sine his determinatis applicationibus, seu terminationibus liberis, e.g. sine terminatione, & applicatione, qua liberè applicatur ad mundum efficaciter volendum; ergo Deus realiter distinguitur à terminationibus, seu applicationibus liberis.

7. Secundò videtur euident, quod id, quod de facto realiter distinguitur ab aliquo, & cum illo non identificatur, pro nullo casu potuit cum illo realiter identificari: sed applicatio, qua Deus potuisset suam volitionem necessariam applicare ad volendum alterum mundum, cum de facto non sit, realiter distinguitur à Deo, & non identificatur cum Deo: nam quod non est, non identificatur cum eo, quod est; ergo pro nullo casu potuit identificari cum Deo. Similiter est euident, quod id, quod realiter identificatur cum aliquo, pro nullo casu potuit non identificari cum illo; identitas enim non est prædicatum contingens, & potens rei conuenire, vel non conuenire: sed si Deus non decreuisset mundum creare, non fuisset applicatio diuinæ volitionis ad mundum creandum, ac proinde Deus non fuisset identificatus cum tali applicatione, seu terminatione; ergo Deus de facto non identificatur cum tali applicatione, ac terminatione.

8. Tertiò videtur euident, quod id quod potuit non esse, non est realiter id, quod nullo pacto potuit non esse: sed applicatio, seu terminatio libera potuit non esse, essentia autem diuina nullo pacto potuit non esse; ergo. Confirmatur primò: nam sicut animal rationale, & irrationale non possunt identificari, quia habent definitiones oppositas: nam animal rationale est id, quod potest discurre, animal irrationale est id, quod non potest discurre, ac proinde si identificarentur, idem animal posset discurre, & non posset discurre; sic necessarium, & contingens non possunt identificari, cum habeant definitiones oppositas: nam necessarium est id, quod non potest non esse: contingens est, quod potest non esse, ac proinde si identificarentur, idem posset non esse, & non posset non esse.

9. Quartò non potest aliquid esse indifferens ad hoc, vt sit Deus, hoc est ens necessarium, vel sit nihil; sed terminationes libere essent indifferentes ad hoc, vt sint Deus, vel

fin

sint nihil: terminatio enim, qua Deus est liberè applicatus ad volendum mundum, de facto est Deus, hoc est ens necessarium, & tamen potuit non existere, & sic esse nihil; ergo. Proportionaliter applicatio, qua Deus potuisset suam volitionem applicare ad volendum, efficaciter alium mundum, de facto non existit, & sic est imperfectior, quam formica, & tamen potuisset existere, & esse Deus æquè perfectè, ac Pater æternus.

10. Quintò Deus non potest identificari cum aliquo importante imperfectionem; sed posse non esse est imperfectio; ergo Deus non potest identificari cum terminationibus liberis, quæ potuerunt non esse; ergo &c.

11. Sextò quod ex se est indifferens ad hoc, ut cum aliquo identificetur, vel non identificetur, est mutabile: siquidem potuit non esse id, quod est, & potuit esse id, quod non est; sed Deus ex se esset indifferens ad hoc, ut identificaretur, vel non identificaretur cum terminationibus liberis; ergo esset mutabilis.

12. Opponunt: Personalitates diuinæ ita realiter identificantur cum diuina essentia, ut virtualiter distinguantur ab illa, distinctione sufficienti ad verificanda prædicata contradictoria; ergo etiam terminationes liberæ possunt ita realiter identificari cum Deo, ut ab eo virtualiter distinguantur distinctione sufficienti ad prædicata contradictoria.

13. Respondeo, concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo terminationes possunt ita realiter identificari cum Deo, ut ab eo virtualiter distinguantur, distinctione sufficiente ad verificanda contradictoria, quantum est ex hoc præcisè capite, transeat: quantum est ex alijs capitibus, nego. Identitas realis terminationum liberarum cum diuina essentia, reiecta est, non ex hoc præcisè capite, quod de terminatione, & essentia verificarentur contradictoria, sed ex sex alijs capitibus allatis in fundamentis nostræ conclusionis; sed nullum ex his argumentis valet contra identitatem, realem personalitatum diuinarum cum diuina essentia; ergo &c.

14. Dicendum secundò: terminationes, & applicationes liberæ non solum non identificantur cum Deo, & cum diuina essentia, sed neque sunt intrinsecæ Deo, & diuinæ essentia.

15. Probatur: nam nihil ab æterno est intrinsecum Deo, quod non sit realiter ipse Deus, ut videtur colligi ex Concilio Rhemenfi: sed terminationes, & applicationes liberæ non sunt ipse Deus, ut probatur est; ergo. Confirmatur: nam Ioannes cap. 1. cum dixisset: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, statim intulit, & Deus erat Verbum*: ergo ex eo, quod Verbum esset ab æterno intrinsecum Deo, intulit Verbum esse Deum; ergo si terminationes essent ab æterno intrinsecæ Deo, identificarentur cum Deo. Confirmatur rursus: nam Patres ex eo, quod Verbum

ab æterno sit intrinsecum Deo, inferunt illud esse Deum; ergo.

16. Ad 1. distinguo maiorem: cognitio, & volitio finita, & contingens non possunt applicari obiecto, nisi per se ipsas, vel per aliquid ipsis intrinsecum, concedo; cognitio, & volitio infinita, & necessaria, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Cognitio, & volitio finita, & contingens propter suam limitationem per se ipsam est applicata, affixa, & alligata suo obiecto contingentem, ideoque non potest obiecto applicari applicatione distincta, & extrinseca, ut constat etiam inductione. At cognitio, & volitio infinita, & necessaria in existendo, non potest per se ipsam esse applicata, & alligata obiecto contingentem; nam necessarium non potest per se ipsum esse affixum, & alligatum existentia obiecti contingentis; cognitio autem, & volitio infinita intrinsecè in omni genere non est capax alicuius intrinsecè superadditi, quo applicetur huic potius obiecto, quam alteri; ergo debet huic potius obiecto contingentem applicari per aliquid distinctum, & extrinsecum.

17. Ad 2. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem: hoc ipsum, quod est *Deum velle efficaciter Mundum existere*, est prædicatum adæquatè vitale, inquantum significat formam volendi, concedo; inquantum significat applicationem formæ, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Deum velle efficaciter mundum existere significat ut formam, ipsam volitionem diuinam infinitam, & applicabilem huic, vel illi obiecto contingentem; & hæc forma est adæquatè vitalis, & præterea significat applicationem liberam, quæ volitio applicatur huic, vel illi obiecto, & hæc applicatio cum supponat in ipsa volitione vitalitatem, & perfectionem infinitam in omni genere, nullam addit vitalitatem, & perfectionem, ideoque potest à Deo distingui, & esse illi extrinseca, ut explicatum est.

18. Ad 3. distinguo maiorem. Implicat, ut Deus constituatur liberè volens mundum per aliquid Deo extrinsecum, tanquam per formam vitalem volendi, concedo; tanquam per puram applicationem formæ, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Forma, qua Deus constituitur volens mundum, debet esse perfectio vitalis, & Deo intrinseca: at applicatio talis formæ potest esse purè extrinseca, ut explicatum est num. 18.

QVÆSTIO LVII.

Vtrum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingentem, sit temporalis, vel æterna?

1. Videtur esse temporalis, primo, quia ex dictis quæstione præcedenti, talis applicatio